

9.

Q. D. B. V.

REIP. AC ECCLESIAE RIGENSIS

ANTISTITES,

Utriusq; Lumina atq; Columina,

*Quin imo*

Aures quascunq; doctas,

Ut,

*Sub novi anni auspiciis,*

DE NOVO

# ROMANORUM VETERUM

ANNO CUM NOSTRO COLLATO,  
Juvenem Ingenio, Virtute ac Eruditione  
Præstantissimum,

HERMANNUM BREVERUM,

RIGENSEM,

*Ad XI. Januarii horam X. matutinam,*

*In Lycei nostri Atrio,*

Verba facturum pronò excipiant affectu,  
demissè ac officiosè invitat

M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P. P.

RIGÆ,

Typis HEJNRICI BESSEMESSERI.



Alendæ Januariæ, singulari Nu-  
minis gratiâ, iterum nobis non ad-  
eò pridem illuxerunt, quas, præ  
cæteris anni diebus, turpissimis  
pollutas superstitionibus, auspica-  
tissimas semper Ethnici existimâ-  
runt. Illas autem humani Repa-  
rator generis unicus, CHRISTUS,

plenissimè ac certissimè purgavit, sibiq; primitias tem-  
poris, Satanicâ occupatas tyrannide, pretiosissimi san-  
gvinis sui primitiis vindicavit. Nugæ profectò & ani-  
les prorsus sunt fabulæ, quæcunq; de Jano bifronti in-  
geniosa Romanorum quondam excogitaverat seduli-  
tas: Latet tamen, sub inani isto schemate, non spernen-  
dum prosperrimi consilii monitum, prudentisq; viri  
character, utpote cujus est præteritorum reminisci, &  
futurorum pariter eventus sagaci prævidere mente ac  
observare. Neq; enim ea duntaxat, quæ ante pedes  
jacent, aut oculis manibusq; capiuntur, expendere suffi-  
cit, sed præterita sedulò ruminare, atq; ex iis futura cau-  
tè colligere, omninò convenit. Quocirca cùm nobis,  
qui radiis bonæ mentis divinitus immisis illustramur,  
benigna surgentis anni facies nuper arrisit, nostrarum  
utiq; erit partium, ut, juxta revolutam exeuntis anni  
memoriam, in quoscunq; recentis casus atq; eventus  
nos præparemus. Romanis circa hoc tempus thura me-  
rumq; Jano, gratiarum agendarum gratiâ, deferre solem-  
ne fuit. Rectius sanè æterno mundi architecto, Filio  
DEI, calidò pietatis ardore fumantia precum consecra-  
re thura, verâ animati fiducia, debemus. Hunc igitur  
totâ mente rogamus, ne, veterum aliquot annorum  
fluctibus eluctatos, novis nos committi iterum patia-  
tur,

tur, neve in altum rursus, vix dum portu visò, abreptos ventis ludibrium fieri permittat. Etenim nemini non abundè constabit, quantis fortunæ adversantis expositi telis tempore proximè elapsò fuerimus, quantisq; passim vulneribus regiones, provinciæ & urbes in Pomerania & alibi confectæ, adèò quidem, ut, nisi ex alto respexisset DEus, actum de tot nobilissimis gentibus, imò & hac patria nostra, penitus fuisset. Stupendum credebatur miraculum, quod, cùm ignium violentia totum montis Cœlii ambitum consumeret, sola Tiberii effigies, in Junii Senatoris domo, intacta mansisset: Id quod & ante Claudiæ Quintæ accidisse referunt, cujus statua bis flammæ illulit in se ingruentis vehementiam, ac proinde à Quiritibus in æde Matris Deùm collocabatur. Verùm enim verò quam ejusmodi prodigiis adhibeamus fidem, emunctioris naris Viri dudum cognoverunt. Nos, sine veritatis dispendio, longè maximum divinæ veneramur bonitatis miraculum, quod, inter virulentas tot malevolorum machinationes, inter minitancia hinc inde publicarum calamitatum tonitrua, illæsi novum ingredi annum adhuc valeamus. Quamvis verò, aliquot retrò lustris, nec horrendo belli discidio distracti, nec occlusi ab hoste fuerimus, nec pestiferæ etiam luis atrocitatem sustinuerimus, non tamen interea compressis, quod ajunt, articulis sedimus; sed in scævam, an sævam verius dixerim? incidimus fortunam, modò Vulcani iras, modò improbi Genii fraudes nequaquam effugientes. Quamobrem ut, contra hæc cæterasq; ingruentes futuræ sortis acerbitates, animos quodammodo muniamus nostros, necessum omninò esse, vel metacente, quisquis intelliget, novo sub anno, veteres exorbitantis vitæ mores corrigere, Deiq; clementiam

tiam totis animi viribus ambire, quò impendens à patriæ & Arctoi Regni finibus malum longissimè avertatur! Auræ equidem pacis serenitate in hunc usq; diem gratiosissimè illuminamur; at quantillum interest, ut illam denuò in densissimas bellorum nebulas tranquillitati infesti cogant? Quis nostrorum dubius ea propter & anceps imò non suspirat pectore? Metuendum quippe quàm maximè, ne Europæi orbis reliquiæ, tot mutuis hætenus cladibus miserrimè afflictæ, tandem aliquando efferantur. Nam tanta horum temporum difficultas nos circumstat, tot dictu gravia & perpeffu aspera nostris cotidie objiciuntur oculis auribusq; ut nullum penè vestigium volave melioris ævi appareat. Hinc, quemadmodum in domo malè fulta signa occurrunt ruinæ plurima; & prout omnium in Oceanum amnium influxus; sic & cladium quarumcunq; in hæcce datur tempora, ut non immeritò quis ad illarum adspèctum, tanquam ad Gorgonis caput, mirum in modum horreat & obmutescat. Quid in tanto proinde malorum cumulo faciendum? Diffidendum, suisq; desperandum rebus? Absit! Ingentia potius DEI Omnipotentis perpendamus opera, & quæ elapsò nobis annò benefacta exhibuit, gratisimò, ceu decet, corde agnoscamus. O quantum est, orthodoxam amplecti Religionem, verumque Numinis cultum, vanis traditionum humanarum ineptiis vacuum, profiteri! Quàm grave contrà & durum, salutari Verbo vimq; habente vitalem penitus destitutum esse? Subtractâ modò sacræ Scripturæ luce, in gravissimos eheu! prolabimur errores, & spississimis obruimur tenebris. Nulla tum fides, nulla in decumanis adversitatum procellis firma ac certa consolatio. Gentiles, excellentis ingenii acumine & subactâ variarum rerum

rerum sapientiâ, nihil nobis concedunt, sed quantis dubitationum fluctibus hinc inde jactati sunt? Varro, Romanorum doctissimus, indicem Deorum ex antiquis confecit monumentis, & triginta mille Deos numeravit. Nec mitiori in hunc usq; diem sorte fruuntur, qui extra pium Christiani gregis cœtum, in remotissimis terræ locis, subsistunt. Hi quippe vel sexcentorum Deorum imagines præ se ferunt, & chimærarum instar, horrenda virorum, fœminarum & ferarum spectra fœdisimè adorant. Tot apud Assyrios Dii, quot urbes; apud Persas, quot in cœlo stellæ, in terra ignes; apud Græcos, quot in cerebro imaginationes; & apud Ægyptios, quot seminantur & proveniunt plantæ. Quid de illis, qui sub Papæ vivunt umbraculo, dicamus? Res notior, quàm ut multis verbis exprimere necessum sit. Quis igitur non capit, quanto nos bono gaudeamus, qui, sub splendidissimo Evangelii lumine, dies nostros transimus? O nos felices, quibus divinæ scientiæ aura cotidie afflat, nostraq; pectora suavissimè afficit! Si porrò ad Politias mentem convertamus paulò accuratius, pro Deum immortalem! quantus beneficiorum oceanus, quàm fœcunda celebrandi DEum se hic copia insinuat? Quibus laudum encomiis efferemus, quod clementissimum Numen Reip. cymbam, in hoc vastissimo turbulentissimarum rerum pelago, multorum dissensionibus atq; discordiis periclitantem, validissimè defenderit, ejusdemq; proram paternâ suâ rexerit manu, neq; eam suffocari excitatis improborum procellis passus sit? Quò animi sensu id exprimendum, quod à manu DEI funestissimâ, contagione nempe istâ, quæ hætenus magnam Germaniæ partem fœvisimè corruptit, huc usq; benignissimè conservati fuerimus? Feralis illa DEA, Parca, nemini Parca, sed quid

quid Parca? DEUS nobis ipse, ex peculiari gratia, pepercit, cum alibi magnas hominum strages ediderit. Quapropter truncus sit atque stipes, qui tam evidentibus Dei Opt. Max. erga nos benefactis ad grates persolvendas haud commoveatur. Alia in praesenti non tango, praesertim quae ad singulos spectant, quae si pari enarrare vellem operam, charta me & dies, materia nequaquam, deficeret. Satius ergo erit cuilibet permittere haec in se rimari & ruminari, quam ingrato verborum tinnitu aures aequè ac animos aliorum onerare. Postquam ita eximia illa, quibus Praeses mundi Rectorque universi elapsò nos annò luculenter affecit, nobiscum recolimus beneficia, restat, ut, quid novus sperare nos itidem jubeat annus, *ὡς ἐν προέδῳ* percipiamus. Quibus jam defuncti sumus periculis, quae haecenus superavimus adversa, satis superque constat; illa autem, quae in posterum accidunt, haud aequè in promptu nobis est novisse. Sunt, qui ex sidereo cursu mala augurari plurima audent, adeoque nobis non nisi perniciem imminere, tanquam è tripode pronunciant. At, ut vulgarem nobilissimae artis abusum silentij involvam sipario, eventura longè certius ex *Θεο-πνεύσεως* addiscimus documentis, quam si temeraria audire ineptientium judicia velimus. Hinc, sacra monente Scripturam, regulam vitae formare debemus prorsus infalibilem, nullis seculorum decursibus mutandam, quam nempe bene agentes manent à Deo praemia, secus verò quisquis se gesserit, promeritas tandem poenas luet. Atque in eo omnium retrò aetatum exempla, praecipuè si divinam attendamus praxin, suavissimè conspirant. Aliàs enim justissimum aeterni judicis vacillaret tribunal, quod vel cogitare, extremae esset dementiae & impietatis. Quamobrem, si vitam instituemus frugi, vocique divinae conso-

consonam, hocce, quod per summi Numinis clementiam jam ingressi sumus, annò meras benedictiones & felicem rerum nostrarum successum præstolabimur. Hæc in gratiam Optimi Juvenis, Declamatoris nostri, consignare volui, imo debui, qui Venerandi Parentis sui, bene merentissimi Ecclesiæ apud nos Antistitis, legere vestigia alacriter intendit. Ille quippe (alia enim fileo, ne ingenii culpâ deterere ejus laudes videar) eam in dicendo dudum vim consecutus est, ut nomen & decus sibi paraverit maximum. Itaq; Filium hunc suum unicum eandem ad virtutem ac doctrinam, &, qui illarum comes, honorem, viam servare docuit. Neq; hætenus, quam de se hic noster excitavit, spes fefellit. Quod proinde olim Herodotus Oloro Thucydidis Parenti, ubi ex certo indicio egregiam nati perspexerat indolem, in ipsis dixisse fertur Olympicis: *μαναρίζω σε τῆς εὐγενείας*, id & plurimum Reverendo Parenti huic optimò jure acclamamus, ejusdemq; senectam etiam hac in re felicem prædicamus. Quare, quicumq; estis, si indolem amatis bonam, si majorum apud vos quicquam valent merita, promptissimis utiq; animis, divinatione aliquâ vos oblectaturi, ad hanc accurretis panegyris, ac de venusto argumento venustè pariter dicenti benignas accommodabitis aures. Quod ut Magnifici Patriæ Patres, Divini Præcones Verbi perquâ Reverendi, nec non cæterorum civitatis ordinum honoratiores quiq; faciant, omnes & singulos decenter rogamus. Postremùm, strenæ quasi locò, JEHOVAM in vita Doctorem, in consiliis lucem, in actionibus ducem, inq; morte comitem unicuiq; seriò ac ardentè precamur. P.P. die VI. Januarii, Anno clò Iac xxc iii.